

Phthriseos ventriculi pathologia : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendent Hugo Franciscus Kleudgen.

Contributors

Kleudgen, Hugo Franz, 1796-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Bonnae : Typis Kupferbergianis, [1820]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cwhanrbw>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

PHTHISEOS VENTRICULI
PATHOLOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO FRIDERICO HARLESS

ORDINIS IMPER. RUTH. ST. WLADIM. EQUITE, MED. THEORET. ET PRACT. PROFESSORE
P. G. REG. BORUSS. CONSILIARIO INTIMO etc

ORDINIS MED. H. T. DECANO

ut de PROGRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LEGITIME OBTINENDO

DIE V AUGUSTI MDCCCXX

PUBLICICE DEFENDET

HUGO FRANCISCUS KLEUDGEN,

Münster - Mayfelda Mosellano - Borussus.

BONNAE,

TYPIS KUPFERBERGIANIS.

A. Marius

25
PHTHISIOS VENTRICULI
PATHOLOGIA

DISSERTATIO IN AUCURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

ILLUSTRISSIMO ACADEMICO ORDINIS IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO FRIDERICO HARTLESS

ORDINIS MED. H. T. DECANO

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LEGITIME OBTINENDO

DIE V. AUGUSTI MDCCCX

PUBLICAE DEFENDIT

HUGO FRANGISCUS KLEUDGEN

Medicus, Mytilis, N. et B. Borussica

BONNAE

APUD RUTHENBERG

I.

PROLEGOMENA,

quibus generaliora quaedam de Phthiseos diversitate atque distinctione exponuntur.

§. 1.

Vix morbum diuturnum quem esse, in quo describendo, percontando, enucleando, atque per genera speciesque disjiciendo et dispertiendo medici omnis aevi adeo tantoque studio desudaverint, quam Phthisin, dirissimum istud summeque insidiosum generis humani flagrum, quo fere quintam partem mortalium (sive rectius incolarum Angliae) trucidari SYDENHAMUS observat, nulli non rei medicae gnaro cognitum est. Neque minus inter omnes constat, nullius morbi therapologiam, medelaeque aptioris atque usu certioris, quam antea fuerit, inveniendae atque commendandae aemulam industriam medicorum ingenia calamosque adeo occupasse, quam ipsiusmet, de quo dicimus, utpote cuius monographiae et singulae observationes descriptae, sicuti curationum medicinarumve contra eum laudationes innumera sensim copia undiquaque confluxere. Atque haec est scriptionum cuiusvis generis pretiique sive ampliorum et volumine grandium sive plagulis materieque tenuissimorum immensa et quotidie crescens de phthisi morbisque variis ad hoc genus pertinentibus multitudo, ut in elencho librorum commentationumque, inde ab antiquissimo tempore, super morbis singulis a medicis omnis terrae aetatisque in lucem editarum, longissimam nec facile vel a literaturae gnarissimo complendam exhibeat seriem. Agmen ducunt HIPPOCRATES, omnium primus phthiseos, cuius phaenomena ad vitam egregie pinxit, cuiusque speciem tuberculosam (*de morbis* l. I., nisi ad vomitam haec magis spectant) iam cognovit, proximam causam notamque pathognomonicam in pulmonum ulcerationem collocans, tum ARETAEUS, egregie pariter eam describens, GALENUS, AETIUS, rel.

Nihilominus tamen — id quod in tanto medentium et consulentium studio zeloque mirum videri posset, nisi morbi atrocis natura cognoscenti et comparanti mirationis quemcunque locum demeret — vix in ullo morbo alio sanando medicorum opera, vel consumatissima, adeo parum successit, adeoque inertem invalidamque et vero desperantem artem salutare ad hunc usque diem reliquit, quam in ista phthisi, ubimet ipsa radices profundius infixarit, et vi vitam absorbente sanguinis reparandi fontes venenaverit.

§. 2.

Lustrantes autem numerosissimam hanc scriptorum de phthisi eiusque modis et curationibus catervam, vel modo potiores atque laudatiores ex hac multitudine, cuius pleniorum conspectum exarare ne PLOUCQUETI quidem indefessae diligentiae contigit, eorumque effata inter se comparantes, facili opera *notionis*, quam singuli horum auctorum de phthiseos natura et ratione proxima, atque proinde de ea, quae ad phthisin universalem pariendam et alendam postuletur, organorum conditione et passione formaverint ac statuerint, eximiam non solum deprehendimus varietatem, sed diversitatem, unaque in haud paucis vagam nimis et penitioris distinctionis expertem speciositatem, et vero mere symptomatae notitiae fallacias. Inprimis vero attentionem movet animumque sollicitat observatio, quam talis scriptorum de phthisi in specie tractantium vel fugax illustratio suppeditat, longe plerosque eorum in phthisi *pulmonum*, (nisi simul *tracheae*,) tanquam principali omniumque frequentissima non solum, sed quasi unica vera et exquisita, respicienda et describenda substituisse et operam consumsisse, reliquorum vero viscerum proprias (secundum sedem principem) phthises aut prorsus praetervidissee, aut iniquo neglectu posthabuisse, et iusto parcius leviusque attigisse. Revera enim, ubi modo numerosissimam, quae inde a SYDENHAMI et MORTONI tempore ad REIDII, BEDDOESII, DUNCANUM, RAULINUM, PORTALIUM, RUSHIUM, BUSCHIIUM, HERHOLDTIUM, *) SALVADORIUM, STORRIUM, KAUSCHIIUM etc. usque super morbis phthisicis in lucem missae sunt, commentationum maiorum mino-

*) Qui inprimis lucide et experienter egit de discrimine inter phthisin pulmonalem veram, sive quam dicunt constitutionalem, tanquam affectionem pulmonis non solum, sed simul totius corporis dynamico-chemicam, et inter fortuito acquisitam, pulmonibus antea non ad ipsam male dispositis nec textura sua laesis (s. morbum pulmonum localem). Vid. Cl. *Harlefs* Jahrbücher der teutschen Med. u. Chir. 1813. Bd. II. St. 1.

rumve sylvam transcurras, centenae prius tibi occurrent observationes et dissertationes de pulmonum et tracheae tabe, quam unam alteramve de phthisi in aliis visceribus, abdominis maxime, residente invenias. Neque mutatur computationis huius ratio ex eo, quod imprimis inde a saeculis XVI. et XVII. multitudinem commentationum de morbo hectico universali, itidemque de tabe et de atrophia, nec non de febre lentescente, tabida etc. exponentium inveniamus; (id quod modo magis confuso et inconcinno iam a medicis medii aevi s. latinobarbaris factum esse scimus). Haud enim latebit historiae medicae peritum, nominibus illis indistincte, et a multis satis arbitrarie atque confuse tanquam ad morbos a phthisi diversos ita distinguendos usitatis longe plerumque pulmonum tabem, utut saepe obscurius latentem nec aperte ulcerosam et purulentam (quippe quam solam fere phthisin dicere solebant), vel cum aliorum viscerum tabe coniunctam, significari, rariusque consumptionis alias species, in pulmonibus aut in aliis organis cum iis proxime connexis fomitem sedemque non habentes, uti admodum ambiguam et controversam istam tabem s. hecticam nervosam, (in cuius nimium subtili et hypothetica divisione et distinctione a febre lentescente, post SYLVIVM et WILLISUM, Fr. HOFFMANNUS, G. E. STAHL, BRENDDEL, SCHROEDER, et TRNKA de KRZOWITZ *) incassum allaboraverunt), illis verbis nuncupatas fuisse, ita ut talium casuum plures non ita ac putabantur, i. e. non sine pulmonum simul praesente vel subsequente affectione phthisica, apparuisse ex ipsis eorum descriptionibus conicere liceat.

§. 5.

Verum quidem est, ab his quoque scriptoribus, qui de phthisi atque tabe (utpote quam utramque iam inde a Galeni et Galenicorum tempore Medici saecul. XV — XVIII. inter se distinguere sueverunt) tum in genere tum speciatim pulmonali scripserunt, distinctionem variorum huius morbi non solum graduum temporumque, sed etiam specierum, fontium, atque internarum passionis rationum haud praetervisam fuisse, neque minus a pluribus illorum, secundum sedis non tantum sed originis et causarum morbi varietatem et diversitatem, divisionem generis phthisicorum affectuum in numerosas species et quas dicunt subspecies statutam fuisse: ita ut iam RICH. MORTONUS phthiseos XV species, et SAUVAGES phthiseos (scil. pulmon.) XX species, cum numerosis varietatibus, et tabis XVII species, (inter quas etiam plures pulmonales), CULLEN earum fere totidem, non

*) Vid. huius industrii epitomatoris Historia febris hecticae omnis aevi observ. contin. Vindob. 1783. et cfr. Dissertat. *Stahlii* (1699.) *J. H. Schulzii* (1742.), de febre hectica, ac *Brendelii* (1754.) et *Schroeteri* (1769) de phthiseos et f. hecticae discrimine.

comprehensis aliis multis febris hecticæ et atrophiae speciebus, enumeret. *) Sed, ubi aliquanto curatius horum auctorum aliorumque complurium nosologiae specialis et systematicae scriptorum tabulas generum et specierum tum phthiseos tum tabis (a plerisque, uti iam dixi a phthisi proprie sic dicta pulmonum distinctae) tum etiam atrophiae, aliis marasmus dictae, itidemque (nimis profecto empirice et arbitrarie ac praeter omnem necessitatem) ab utroque illo consumptionis genere se-iunctae examinemus, sponte nobis obvenit confusionis non solum, sed admodum superficialis atque symptomatico-empiricae rationis, qua medici illi in distinguendis sic et dispartendis phthiseos tabisve speciebus versati sunt, ingrata observatio. Non solum enim, quod supra iam notatum erat, et quod specialius hic demonstrare haud locus est, longe maximam auctorum partem ad nostra usque tempora in phthiseos notione sistenda atque ad varias eius species referenda nimis stricte et obsequiose priscos sequutos esse animadvertimus, ita ut GALENI, qui phthisin sive potius phthoen absolute ulcerationem pulmonum vel tracheae et faucium definiret, nec non ARETAEI, AETII, ALEXANDRI, reliquorumque tum Arabum et Arabistarum vestigia prementes, in quacunque fere tabis specie tamquam commune et pathognomonicum provectoris gradus criterium pulmonis ulcerationem et puris exspuitionem conspicerent, quasi nullus morbus phthisicus esse possit absque peculiari et ipsum perficiente pulmonum fistulaeque aereae passione. Sed specierum phthiseos divisiones et denominationes longe plurimae admodum promiscuo modo tum quidem a sedis sive loci proxime affecti, tum a causarum tum internarum (diatheseum et cachexiae singularum specierum) aut externarum et occasionalium, tum denique symptomatum quorundam peculiarium phthisin aut frequentius aut rarius comitantium et ex parte mere accidentium (uti phth. calculosa, asthmatica, syphilitica, ictericita etc. SAUVAG.) diversitate, sive vera sive putativa, desumptas vidimus. Res vero, quae maxime obfuit rationali vereque distinctae et ad usum therapeuticum fructuosius facienti Phthisiologiae, et quae ideo maxime censenda venit, est ipsius *conditionis internae laesionisve organicae*, quam

*) Vid. R. *Mortoni* Phthisiologia, german. transl. Helmstad. 1780. *Sauvages* Nosolog. method. ex edit. *Daniel*. 1797. Tom. V. Class. X. Ord. 1. et Editoris ad eam additamenta. *Cullen* Synops. nosol. method. Class. I. (Pyrexiae) XXXVI. (Phthisis) et Cl. III. (Cachexiae) Gen. LXII. sq. Tabes, et Atrophia. Atque cfr. Fr. *Hoffmani* Medicin. ration. Tom. IV. Part. IV. cap. XI. de affect. phthis. et Tom. IV. P. I. Sect. II. cap. 13. de febrib. hect. et lentesc., nec non *van Swieten* Commentar. in Boerh. aphor. Tom. IV. pag. 1. sqq. et M. *Stoll* Rat. Med. T. IV.

viscera varia subire, et quæ ea phthisi ortum fomitemque et sedem præbere possint, huiusque conditionis vel alterationis *diversitatis*, apud plurimos scriptores nimis levis et superficialis consideratio, quin immo apud multos prætermisio. Dum enim in consumptionis sive nutritionis et reproductionis materie organice lapsus et inopie positione, tamquam notione generali phthiseos eiusque causae proximæ amplectenda acquiescerent, hanc notionem etiam minus communiter ad ipsorum viscerum, phthiseos fomitem nidumque continentium, conditionem, quasi ita tantum et in quocunque casu cogitandam, referre sueverunt. Atque sic in omni phthisi vitæ non solum et energiae animalis, imprimis assimilativæ et productivæ ac secretoriæ (quas dicunt) visceris, quod læsione functionis et alteratione morbosa compagis et materie suae morbi fontem sedemque proximam efficeret, remissionem atque dissolutionem singularem et insignem, unaque massae et mixtionis propriæ corruptionem sive dyscrasiam, sed aut simul aut deinceps et quasi necessario nexu massae suae organice diminutionem et consumptionem adesse debere non dubitaverunt. Unde scilicet saepius factum est, ut in talibus casibus morborum ex tabis genere, in quibus aut nulla manifestiora signa topicae alicuius organi labis et colliquationis in vita adessent, aut in quibus extispicia post mortem nullum viscus, nec pulmones, nec tracheam, nec hepar, nec lien, nec canalem alimentarem, nec renes etc. ulcere pureque confectum vel mole compageque sua liquatum consumtumque ostenderent, passionis naturæ haud phthiseos nomen daretur, sed febris alicuiuspiam hecticæ, vel lentescentis, atrophicæ etc., etsi phthiseos veræ in ipso organo adfecto, pariter ac in toto corpore, certissimæ inveniendæ essent notæ.

§. 4.

Duplicem autem esse revera posse visceris organice alicuius proximæ affecti conditionem morbosam et phthoogeneticam in morbis ad phthisicorum genus pertinentibus, et ex visceris huiusmodi secretorii singulari aut certe eminenti passione et defectione oriundis, duplexque proinde distinguendum esse phthiseos genus pro biodynamicæ et biochemicæ affectionis et alterationis organorum, fontem sedemque phthiseos principem continentium, diversitate, inter reliquos, qui de interioribus phthiseos rationibus nuperiori tempore exposuere, a Cl. HARLESS, præceptore colendo, distinctissime enunciatum atque demonstratum invenimus *). Atque eo magis nobis arridet hæc Cl. Præ-

*) Vid. Ch. Fr. Harless, über die Krankheiten des Pankreas etc., mit einleitenden Bemerkungen über die Schwindsuchten überhaupt, Nürnberg 1812. in 4to. R. (recu

ceptoris sententia, eoque lubentius adducimur, ut ipsammet amplectemur, quocertius eam non solum cum rationibus theoreticis, sed (quod magis omnino valet) cum experientiae effatis consonam habemus. Etenim duplicem illam visceris conditionem et ad phthisin provocandam rationem eam esse Col. Praeceptor affirmat, ut ipsum organum *aut* ex causis variis, inprimis ex stimulatorum externorum subtractione etc., vi et energia sua plastica, assimilante et nutritiva, et sic suam ipsius massam, crasin, compagemque integram efficiente, impensius minuatur atque destituatur, atque sic contabescat, *aut* et ex causis oppositae vis et naturae, inprimis ex stimulationis nimia et insolita vi et duratione, nisu suo *plastico* et activitate *secretoria nimium* et ad summe *luxuriantem* atque parasiticam intemperiem usque *concitetur*, *augeatur*, atque sic ipsum mole et figura sua naturales fines legesve *excedat*, quid, quod in singulis casibus iisque profecto non paucis, ad enormem usque ambitum *increscat*. Hoc quum fiat, organi ita mole sua adaucti non solum faciem et figuram externam, et ad contigua organa relationem magis minusve alterari, sed internam quoque fabricam et compagem, sicut fluidorum in ipso relationem ad vasa continentia, omnisque assimilationis et vitae plasticae in ipso rationem perverti debere, Cl. Harless observat: idemque addit, in tanta processuum biochemicorum craseosque totius corruptione lymphatico-vegetativam talis visceris vitam atque energiam, utpote per se iam ordine graduque infirmam et hinc dissolutu pariter ac excessu faciliorem, parasitica quadam luxurie reliquorum systematum vitam viresque reagentes superare et quasi absorbere. Exinde uberius confluere humores, sanguinem praesertim venosum, serumque et lympham, atque sic in vasis ampliatis atque laxatis debilioribusque factis cumulari deinceps humores quosque secretos, sensimque spissari et in coagulum abire, quum vasorum absorbentium vi diutius perdurante fluidius quodquod absumatur. Hinc humorum in tali inprimis viscere, quod glandulosa

sum quoque in: Denkschriften der Physical. Medicin. Societät zu Erlangen, Tom. II.) „Ein Organ“, Cl. Auctor ait ibi pag. 2., „kann eben so gut dadurch „Sitz und Ursache der Phthisis werden, dafs seine *productive*, assimilirende „und nutritive Thätigkeit — — zu sehr und in immer steigendem Grad *vermindert*, *gehemmt*, oder sonst in Unordnung oder *Schwäche* gebracht wird, als „dadurch, dafs diese seine productive und *absondernde* Thätigkeit, in Folge „einer übermäfsigen und ungewöhnlichen Erregung, im *Uebermaas vermehrt*, „beschleunigt, ja bis zur ausschweifenden *Wucherung* gesteigert wird etc.“

structura, aut saltem glandularum largiore apparatu vasorumque acinorumque secermentium multiplici complexu gaudet, insigniorem oriri tum lentorem et motus retardationem in vasis minimis, tum condensationem et commutationem in massam solidiorem s. semisolidam vel pseudorganicam, tum, pro re nata, concretionem rigidiorem; atque ex his omnibus indurationem visceris vel partis eius, ad scirrhosam usque firmitatem et duritiem, vasorum glandularumque synizesin, telaeque cellulosaе, membranarum, vasorumque demum elongatione vel novorum formatione totius massae a typo naturali aberrantis molem ambitumque iusto maiorem vel ponderosiores crebro procreari. Similiter de hisce metamorphoseos organico-plasticae rationibus iudicarunt STORR, et nuperrime J. AD. WALTHER *).

§. 5.

Quae autem porro sequantur ex tali visceris dyscrasia atque metamorphosi rationes morbosae *biodynamicae*, sive eae positae sint in turbatione atque perversione virium facultatumque tum in genere mutuam incitationem reactionemque vitalem condentium, tum speciatim singularem irritabilitatis et sensibilitatis in viscere laeso inter se relationem et quam vocant tensionem et enantiosin polarem constituentium, sive referantur ad visceris ipsius facultatem stimulos externos in se recipiendi, et contra eos reagendi, sive ad vires, quas ipsum in reliquum corpus exercere valet, excitantes energiamque vitalem autonomicam concitantes, haec ultro cuique oeconomiae animalis vitaeque et reactionis partium solidarum fluidarumque mutuae indagandae studioso patebunt. Neque haberem equidem, quae circa hosce visceris sensim crasi et functionibus suis alterati labentisque effectus, stimulorum morbificorum focum singularem et eminentem formantes, atque vi hac praeter naturam stimulante febriles non solum motus concitantes sed aequilibrium systematum biodynamicum massaeque corporis conservationem et assimilationem iustam magis magisque impediende, et hic paulatim intima vitae organicae vincula simul cum ipsius massa solventes, addere possem ad probatiorum de phthisi scriptorum super his rationibus effata, atque inprimis ad ea, quae CL HARLESS satis perspicue

* Ueber das Wesen der phthisischen Constitution und der Phthisis (sic), 1. Bd. Bamberg, 1819. In opere hoc, acutarum et ingeniosarum cogitationum copia conspicuo, nimia expositionis prolixitas et verbositas, nec non subtilitatis alicuius dialecticae studium, lectorem offendunt, et, ni fallor, haud immerito censenda veniunt.

de illorum sibi succedentium processuum tum dynamicorum tum chemicorum relatione, circulum, quo omnis vita omnisque et actio et passio animalis excipitur, causarum effectuumque manifestante, exposuit. *) Effectuum horum, phaenomenorumve, morbi phthisici *species singulares* constituentium, *differentia* tum formae et decursus tum gradus ratione omnino pendeat maxime (etsi non unice) a diversitate visceris proxime affecti, nidumque et centrum processuum organismum dissolventium continentis, atque proinde a singulari eaque specifica relatione et functionis ratione, qua illud tum ad vitam universam alendam, tum imprimis ad sanguinis continuam secretionem, restorationem, eiusque virtutem stimulantem, atque circulationem sustinendam conferre valet. Hinc omnino *pulmonum* phthisis, sive ea verae tabescentiae et colliquationis massae pulmonalis characterem ferat, quemadmodum is in omnibus diuturnae corrosionis et suppurationis pulmonum casibus conspicuus est, sive eius loco passionem et alterationem exallacticam atque cacoplasticam, qualem in §. antecedenti diximus, s. morbosam substantiae pulmonalis adauctionem, inflationem, concretionem, aliamve exsuperantem dysmorphiam ut causam proximam febris phthisicae sanguinisque sensim confecti carniisque colliquantium agnoscat, sicut omnium frequentissima omniumque terrarum aetatumque communissima, ita etiam ortu facillima et progressu rapidissima, nec minus omnium proxime maximeque vires materiemque animale consumens evadit. Atque fieri exinde non potuit, quin jam antiquitus haec pulmonum tracheaeque phthisis tanquam reliquarum tabium princeps et prototypa consideraretur, adeo ut specierum reliquarum, in aliis visceribus sedem habentium, ubi mesenterico-glandulosam, sive atrophiam abdominalem (infantum potissimum), et aliquomodo etiam phth. hepaticam (utut minus studiose expositam) exceperis, specialior disquisitio et therapeutica pertractatio fere negligeretur, etsi parem certe, nisi maiorem, tales phthiseos species mererentur attentionem.

Inter hasce immerito. lucusque iuxta habitas, vel fugacius tantum memoratas, ne dicam praetervisas, a nosologis classificantibus phthisium species

*) Libro cit. pag. 3 — 7. Uberius ibi e natura expositum invenimus, quibus rationibus ex primaria (ubi scil. talis adfuit) organi alicuius corruptione dinamico-materiali, etsi cum massae prodigiosa vel parasitica luxurie iuncta, universalis producat labes et consumtio. Conferre quoque imprimis merentur, quae C. Storr in commentat. sua: über die Nat. u. Heilung der Lungenschwindsucht. 1809., et prius in *Hufeland Journ.* T. XXIII. protulit.

praesertim numeranda est *phthisis gastrica*, sive in *ventriculo* sedem fontemque habens; cuius tamen curatius indagandae atque dignoscendae eo maius est medicorum officium, quo insignior non solum morbi huius est gravitas atque tum cognoscendi tum sanandi difficultas, sed quo frequentius occultiusque simul ipse, non solum aegrotis ipsis plurimis, sed multis medicis insciis, inter multarum terrarum incolas circumserpit. Huius autem phthiseos gastricae specialius iamiam considerandae atque tum quidem secundum imaginem suam signaque diagnostica, tum secundum internae passionis proximaevae rationis varietatem, causarumque remotarum, tam proegumenarum quam procatarecticarum copiam (omittendo nunc methodum medendi, de ea imposterum acturus), pro virium modulo, eaque, qua cohibeor, sermonis brevitate exponendi, ansam opportunitatemque mihi praeprimis praebent ipsius, quam dicimus, phthiseos in agro Bonnensi non tantum sed etiam in aliis regionibus multis circa Rhenum inferiorem et iuxta eius ripas, nec non in confinibus locis humilioribus vallibusque provinciae Bergensis observata frequentia, utpote quae tanta omnino adeoque perniciosa est habenda, ut hominum in hisce regionibus ex phthisicis morbis (perperam hinc saepe, vel ex secundariis tantum effectibus, phthiseos pulmonalis nomine insigniri solitorum) confectorum quadrantem fere partem ista *tabe ventriculi*, primaria certe, consumi, iure suo affirmandum esse putem.

II.

Phthiseos ventriculi specialior expositio.

§. 6.

Paucissimi sunt scriptores, qui de *phthisi* vel *tabe gastrica s. ventriculi* speciatim, atque notione huius tabum speciei distinctiore exhibita, exposuerint, paucissimique, qui interiorem huius phthiseos eiusque causae proximae conditionem clarius et absque confusione cum similibus vel simulantibus morbis aut hepatis, aut canalis intestinalis revelaverint. Inter hosce nominandi inprimis veniunt, post *Avicennam*, primum hanc tabem gastr. expressius dicentem 1) tum JOH. ALB. ERHARD 2), tum FRIED. HOFFMANN 3) aliquomodo etiam

1) Canon. Fen. XIII. lib. 3. Tract. I. cap. 29. Rudis scilicet sciagraphia.

2) Eius Dissert. de *Phthisi Gastrica*, praes. Fischer, Erford. 1719. ex ingenio utique theoriae istius temporis, neque tamen omni pretio careus.

3) *Medicin. ration.* T. IV. part. I. Nosolog. Special. Lib. I. Sect. II. cap. 13. *Hectica stomachica et intestinalis.*

etiam ROSINUS LENTILIUS 1), et inprimis LUD. WILH. ARNOLD 2). Inter reliquos de Phthisi scriptores illius speciei gastricae aliquam, etsi non ita distinctam, sed partim cum tabe intestinali s. chylosa atque mesenterica, partim quoque cum phthisi hepatica in unius tabis imaginem confusam, notionem sive tantum adumbrationem dederunt MORTON 3), *Medici Vratislavienses* 4), CAR. LEIGH 5), *van d. LINDEN*, et ETTMÜLLER 6), et inter nuperrimos alios Cel. HUFELAND 7), et Cl. J. ADAM WALTHER (l. m.). Porro huc quoque censendi veniunt singuli *casus* memorabiliores tabis gastricae, ab aliquibus scriptoribus veteribus recentioribusque modo sub illo nomine modo sub aliis enarrati, quos inter memoratu inprimis digni sunt habendi observationes ZACUTI LUSATANI, super *hectica stomachica* 8), tum Anonymi in *Actis Erudit. Lips. de tabe stomachica* 9), alius Anon., in *Collect. Acad. T. III. Obs. 4.* 10), de tabe a stomacho, STALPARTI VAN DER WIEL, de febre hectica ex erosione stomachi interni 11), FABRICII HILDANI, WELSCHII, SCHENKII, RUYSCHII,

1) In *Ephemerid. Nat. Curios.* Dec. III. Ann. 7 et 8. Append. p. 120. cfr. *P. Barbette* prax. med. chir. Cap. II. thes. 2.

2) *Diss. de hectica stomachica*, Altdorf. 1734. suo tempore eximia et adhuc praestans.

3) *Phthisiolog.* Cap. II., ubi generalia paucissima de phthisi ex digestionis depravatione, tum cap. IV. ubi phth. hypochondriacae, et cap. XIII., ubi phthiseos ieteritiae s. hepaticae descriptio talis, quae simul ad ventriculum quoque referri possit, etsi nimis manca.

4) *Histor. morbor. Vratislaviens.* A. 1700, pag. 212. sqq.

5) *Nomine Phth. Chylosae*, in *Phthisiolog. Lancastr.*, apud *Sauvages*, ed. cit. T. V. p. 38.

6) *Opp. prax. med.* T. I., Cap. de *Atrophia hectica*, p. 219.

7) In *commentat. sua: Beiträge zur Verhütung und Heilung der Lungensucht*, in suo *Journal. d. prakt. Heilk.* 1800. Bd. XXX. Heft 2. p. 52. sqq.

8) *Prax. med. lib. II. observ.* 5.

9) *Ann.* 1714. pag. 182.

10) *Apud Sauvages*, l. m. *Spec.* 14.

11) *Observ. rarior.* T. II. obs. 26.

BONETI, J. NIC. WEISSII 1), BOERNERI 2), LANGGUTHI 3), TRILLERII 4), MORGAGNII 5), LIEUTAUDII 6), PORTALII 7), BAILLIE 8), SOEEMMERRINGII 9), J. PETRI FRANKII 10), LUTHERI 11), VETTERI 12), REILII 15), KADII 14), aliorumque plurium de indurationibus, callositatibus, tumoribus coarctantibus, et scirrhis ventriculi et pylori aut cardiae, febrem hecticam secum ferentibus. Aliquomodo etiam huc faciunt observationes FORESTI, SWALWII 15), SANDII 16), LITTREI, GEOFFROY 17), SANDIFORTI 18), MORGAGNI, LIEUTAUD, PORTALII, FRANKII,

- 1) Notatae hae observationes inveniuntur in Dissertat. cit. *Arnoldi* de hectica stomach. (1734.) pag. 16.
- 2) Diss. de tabe sicca lethali a duodeni angustia etc. Lips. 1752.
- 3) Diss. de tabe sicca leth. ex callosa pylori angustia, recus. in Halleri select. Dissert. pract. T. III. p. 63.
- 4) Diss. de tabe lethali ex callosa oris ventricul. angustia, Viteb. 1750. vid. Haller. coll. Diss. cit. T. III. p. 31.
- 5) De sedib. et caus. morb. Epist. XXIX. XXX. XXXI. XLIX. et saepius.
- 6) Hist. anat. med. T. I. p. 10—15.
- 7) Cours d'Anatom. med. T. V. p. 195.
- 8) Anatomie des krankh. Baues, übers. von *Soemmerring* et nuperius in: Series of Engravings, Fasc. III. Tab. VI. p. 74. sq.
- 9) In annotationib. ad librum *Baillie* cit.
- 10) Epit. de curand. hom. morb. Tom. V. Lib. II.
- 11) In *Hufelandi* Journ. d. prakt. Heilk. T. VIII. 1.
- 12) Aphorismen etc. T. I. p. 165. sqq.
- 13) Archiv für Physiologie, T. IV. pag. 375. in *Kadii* diss. germ. versione.
- 14) Diss. de morbis ventriculi, Hal. 1798, german. versa in *Reilii* Archiv, T. cit. ubi etiam plures aliae observat. citantur. cfr. *Hallé* observ. in Hist. de la Soc. Roy. de Med. 1785.
- 15) Ventriculi querelae et opprobria, Amsterd. 1664.
- 16) Diss. de raro ventriculi abscessu, Region. 1701. Haller Coll. Diss. pr. T. III. Cfr. etiam observat. variorum in Ephemerid. Nat. Curiosor.
- 17) *Fourcroy* médecine éclairée. T. II.
- 18) Observat. anatom. pathol. T. III.

GERARD 1), KADE, FERON, (apud hunc), PEMBERTON, aliorumque de suppurationibus lentis et abscessibus ventriculi, nec non de concrelionibus abscedentium vel alias degenerantium eius partium cum hepate etc.; cuius generis plures adhuc aliae observationes apud VOIGTELIIUM 2), et J. FR. MECKELIUM 3), collectae inveniuntur.

§. 7.

Longe tamen abest, quin omnibus singulisque observationibus hic laudatis, facileque numero augendis, in verae et propriae phthiseos gastricae demonstrationem atque illustrationem diagnosticam uti possimus. Etenim plurimae ipsarum non cum in finem enarratae sunt, ut tamquam exempla propriae phthiseos gastricae prostarent, sed laesionis vel degenerationis organicae ventriculi, tamquam variorum aegritudinum passionumve, quibus aegri adflicti fuerunt, causae proximae, revelandae causa. Neque in omnibus illiusmodi casibus verae febris hecticae symptomata adfuerant, quin potius in aliquibus vix febris notabilior, aut carnis consumptio, observata fuerit. E contrario alios invenimus casus morborum, neque pro morbis ventriculi peculiaribus neque pro febribus tabidis habitorem, in quibus tamen post mortem ventriculi singularis dysmorphia et corruptio organica, consumptionis lentae principem nisi solum fontem continens, manifestabatur. Tales casus cum extispiciis narrant inter alios PANAROLUS 4), RUYSCH 5), MORGAGNI 6), STOLL 7), CAROL. BELL 8), BAILLIE, (l. m.) LUTHER (l. m.), KADE, VOIGTEL, MECKEL, aliique. In aliis itidem casibus, apud FR. HOFFMANN 9), MOR-

1) De perforations spontan. de l'estomac, german. vers. in *Harlefs N. Journal d. Ausländ. med. Litterat.* T. VIII. Fasc. I.

2) *Handb. der pathol. Anat.* T. II.

3) *Handb. d. patholog. Anatom.* T. II.

4) Apud *Lientaud*, l. c. Obs. 82. Interioris ventriculi pustulosa ulceratio.

5) *Observat. anat. chirurg.* XXXIX. pag. 39.

6) *Epist.* XIV. XXIX. XXX. c. 2. et alibi.

7) *Rat. Med.* T. I. vers. germ. pag. 278.

8) Apud *Voigtel*, libr. c. T. II. p. 478.

9) In *Diss. de morbo nigro*, §. 19. cfr. *Baldinger select. opuscul. med.* p. 18. Vomitus continuus cum continua gastrodynia et lipothymiis, nec non alvo nigra, febrem hecticam in potatore comitabantur.

RIS 1), BERTHEAU 2), CHAMBON DE MONTAUX 3), GEOFFROY 4), CAROL BELL 5), PORTAL 6), J. FR. MECKEL, aliosque, ventriculi adfectio aut non pure ulcerosa vel alio modo degenerans fuit, sed ad melaenam aut ad scorbutico-putridam naturam accessit, aut saltem non pro febris tabescentis causa proxima habita est, etsi in haud paucis horum casuum illius tabis ex ventriculi passione origo difficulter tantum observationem fugere potuisset 7).

§. 8.

Ut vero morbum, de quo singulatim hic agimus, proprius dispiciamus, eiusque notionem, indolemque, et ad alios morbos magis minusve cognatos similesque relationem specialius definiamus, videndum nunc nobis est, quaenam phthisium species sit illa *gastrica*, sive *tabes ventriculi*, proprie dicenda, et

- 1) Med. Observat. and Inquiries, Vol. VI. 1784.
- 2) Journ. de Medec. Tom. XXXVII. p. 312. Ad memorabiliore pertinet hic casus, et exquisitius praebet exemplum phthiseos gastricae cum chronica subinflammatione et ulceratione ventriculi in sene septuagenario, potui spirituosum nimium indulgenti. Similis naturae erant a G. Chambon de Montaux, nec non a Reilio enarrati casus.
- 3) Krankengeschichten u. Bemerk., apud Voigtel l. m. p. 484. 489. Scirhi et ulcera stomachi cum vomitu febris hecticae causae erant.
- 4) In Fourcroy médec. éclairée etc. Tom. II. Ex tumore ventriculi et pylori cartilagineo mors subitanea.
- 5) Zergliederungsk., übers. v. Rosenmüller, Bd. I. S. 41.
- 6) Ueber die Natur und Behandl. der schwarzen Krankh. cfr. Samml. auserlesn. Abhandl. für pr. A. T. XIX. Melaena cum ventriculi tabe iuncta fuit.
- 7) Praeter casus hucusque dictos, et ad ventriculi passionem talem, quali febris phthisica incendatur et alatur, ostendendam prae aliis idoneos, omnino complures alii quoque casus mixtae et complicatae passionis et degenerationis stomachi cum oesophagi non tantum, sed aliorum quoque viscerum contiguorum simili passione, e. gr. cum indurationibus aut ulcerationibus duodeni, hepatis, lienis, mesenterii etc. adferri possent; idque eo opportunius, quo frequentius huiusmodi complicatae vel modo communes ventriculi cum contiguis organis passiones in febribus tabidis ex ventriculo et intestinis oriundis provenire soleant. Sed temporis plagularumque angustia cohibet nos, quominus prolixiores in hac argumenti adornatione historica esse possimus, et poscit, ut in stomachi propriis adfectibus phthisicis considerandis nunc subsistamus.

quibusnam phaenomenis constantioribus signisque certioribus nisi pathognomonicis ea cognosci et ab aliis ventriculi intestinorumque nec non hepatis morbis, cum illa facilius confundendis, dignosci queat? En, quae succincto sermone ad hanc quaestionem expediendam proponere necessarium duco.

Gastricam eam tantummodo dicimus phthisin, quae principe et proxima sua causa oritur aliturque ex ventriculi affectione et laesione diuturna, eaque idiopathica; et in ipsius aut conditionis biodynamicae, sive energiae sensitivae, motricis, digestivae, atque secretoriae, aut biochemicae s. materialis, i. e. mixtionis materiei ventriculi organicae, fibrarumque et membranarum atque glandularum vasorumque eius texturae atque fabricae, insigniore turbatione et perversione posita est; et cuius vi *febris lentescens s. hectica*, cum corporis lenta emaciatione, accenditur. Talis ventriculi eiusque tum virium, tum functionum, tum demum texturae et configurationis laesio atque anomala conditio, qualis satis graviter increscit, satisque diu persistit, ut digestionis et nutritionis primum principemque fontem et totius vitae plasticae et reproductivae atrium sensim subvertere valeat, aut *protopathica*, s. e primario et q. d. immediato ventriculi affectu, aut *deuteropathica* et *sympathica*, ex alius cuiusdam organi antecedente vel adhuc perstante passione, consensus via vel metaschematismi et metastaseos processu ad stomachum delata, exstare potest. Atque hoc ita quidem, ut in posteriore quoque casu ventriculi laesio ex sympathica, qualis forte erat, idiopathica fiat, princepsque exinde et sufficiens evadat ad concitandam *febrem* hecticam, reliquaque hanc comitantia phaenomena parienda.

Notio haec phthiseos gastricae dum originis atque relationis huius morbi ad aliorum organorum passiones vel primarias, vel synchronicas varietatem involvit, haud quidem excludit variam huius tabis, quae esse possit, cum aliorum organorum morbis coniunctionem atque complicationem: neque excludit similem, quae serius ocius subintrare possit, talium organorum, praeter stomachum, phthisicam corruptionem, ita ut ex accedente ad ventriculi passionem hecticam aliorum viscerum tabe complicatio atque consummatio eius species enasci possit. Quin potius ratione atque experientia satis frequenter probata abunde constet, phthisi gastricae, sive primariae, sive secundariae, facillime iungi vel ex ipsa suboriri posse consumptionem tum *lien*is, tum *hepatis*, tum ipsorum *intestinorum* atque *mesenterii*, tum etiam *pulmonum*; uti exempla plura apud ARNOLDUM (Diss. cit.) MORGAGNIUM, LIEUTAUD, VOIGTEL,

GERARD 1), REIL et KADE 2), commonstrant. At excluduntur supra data notione tales phthises compositae, in quibus pulmonum, vel hepatis, vel lienis, vel alius visceris tabes eminens est, atque potiore vel principem morbi hectici rationem fontemque constituit, etsi ventriculi quoque passio hectica ad morbum augendum atque modificandum conferat. Etenim talis tantummodo tabes vere gastrica dici potest, in qua, utut forte complicata, ventriculi passio eiusque tum functionis digestivae et secretoriae constans crescensque dejectio, ad paralyticam usque adynamiam procedens, tum organicae materiei et fabricae degeneratio et partialis destructio gravitate et vi ac influxu in reliquorum symptomatum phthisicorum concitationem *eminent*, rationemque *principem* febris hecticae continent; neque vero talis, in qua potior et eminentior consumptionis febrisque fons et ratio in pulmonum vel hepatis lienisve etc. originaria confectione phthisica posita sunt, et in quibus ventriculi ista adynamia et cachexia vel induratio, aut suppuratio et alia quaevis texturae depravatio, primaria organi alius passione phthisica adhuc perdurante, causamque proximam praebente, *mere symptomatica* et *accessoria* est. — Pariter ex supra data notione apparet, *minime omnem* ventriculi passionem adynamicam eiusque virium functionumque dejectionem diuturnam digestionique et nutritioni adversam, etsi idiopathicam, phthiseos gastricae naturam obtinere, ipsiusque nomine comprehendendam esse, sed talem tantum, quae gradu atque vi, tum impensius irritante universum systema et nervosum et sanguineum, tum ex chylicationis corruptione universam quoque lymphae plasticae atque ipsius sanguinis crasin corrumpente, adeo increscit et exsuperat, ut verum et sufficientem *febris* continuae remittentis eiusque lentescantis s. *hecticae* fomitem, atque consumptionis lentae sed indies progredientis virium non solum, sed etiam materiae corporis organicae, rationem proximam praebeat.

1) Commentat. cit. in *Harlefs Neuem Journ. der ausländ. Med. und Chir.* T. VIII. Fasc. I. Observ. X. (pag. 27. sq.), phthisis gastrica ulcerosa, ex antecedente melaena, cum lienis ipsorumque pulmonum serius accedente ulceratione. Obs. XV. (*Baronii*), Phth. gastr. subacuta, cum vomitu cruento et melaena.

2) Diss. cit. in *Reilii Archiv* IV., pag. 325. Obs. *Reilii*, phth. gastr. ulcerosa cum vomitu nigro et ulceribus intestinorum; pag. 382. phth. gastr. ulcerosa cum pulmonum tuberculis et suppuratione.

§. 9.

Verum enimvero quum non solum ob *gradus*, quo passio ventriculi et exinde reliqui corporis phthisica existere potest, differentiam, sed etiam ob *naturae affectionis* idiopathicae ventriculi sive *conditionis eius* morbosae, quae phthiseos rationem proximam offert, *varietatem* multimodam et vero *diversitatem*, insigne respectuque summe dignum huius phthiseos gastricae, tanquam morbi generica notione comprehensae, intercedere possit debeatque discrimen *specificum*, formaeque s. complexus atque successionis symptomatum, atque decursus in singulis speciebus singularitas, et quum ex tali singularum specierum sive subspecierum (quas vocant), diversitate sola character therapeuticus specialior et idonea cuique speciei medendi ratio enucleari possit, *specierum potiorum* et constantiorum phthiseos gastricae idiopathicae (nam mere symptomaticam iure omittimus) distinctionem atque partitionem nosologicam, conditionis morbosae ventriculi differentiis maxime (etsi non unice) superstruendam, moliri nos oportet. Eamque ut suscipiamus, eo magis opus atque tempestivum nobis videtur, quo minus definiti atque specialius extricati quid hucusque a pathologis clinicisque circa hoc phthiseos genus elaboratum esse invenimus.

Phthiseos ventriculi, tanquam genus considerati (etsi revera species sit ipsa generis phthiseos s. tabis) sequentes statuere iuvat *species*, sive malis, *subspecies*, quarum cuiusque casus aliquot partim a me ipso visos partim a praeceptoribus col. mihi traditos in continuatione huius scriptionis enarrabo.

- 1) *Phthisis ventriculi dyspeptica*, s. *adynamico-atrophica*, sine ulla ventriculi dysmorphia cacoplastica aut exallactica 1).
- 2) *Phthisis ventr. melanotica*, s. *atrabiliaria*, e sanguifera ventriculi parte et functione proxime suboriens, et cum *lien* aliqua semper passione peculiari, eaque plerumque protopathica, iuncta. Utriusque speciei character essentialis et primarius est dynamicus.
- 3) *Phthisis ventric. subphlogistica*, *cardialgica*, eaque occulto serpens, quae in singulis initio magis *spasmodica* est, et cuius character primum eminens dynamicus sensim multum crescendo et phthisin inducendo, in eminentiorem organico-chemicum specierum sequentium transit.

1) In his cachexiae et simul vitiatae fabricae organorum denominationibus et divisione sequi placet Cl. Harless, *Handb. der Klinik*, 1. Bd. Pathologie, §. 116.

4) *Phthisis ventr. induratoria*, s. *scirrholes*, cum ventriculi medii, vel pylori, vel cardiae induratione, angustatione, et scirrho. Haec cum specie 3. saepius in unam convenit, et ex illa oritur.

5) *Phthisis ventr. ulcerosa*, s. *suppuratoria*, ab ulcere s. apostemate et corrosione, vel fistulosa perforatione stomachi.

* * *

Praeter has phth. gastr. species genuinas propriasque et idiopathicas aliae quaedam modificationes sive varietates *compositae* vel *complicatae*, cum *aliorum* scilicet *organorum contiguorum* passione phthisica, eaque aut *principe*, aut saltem *protopathica*, veramque phthisin gastricam saepius simulante, recenseri possunt; nimirum:

a) *Phthisis duodenalis* vel *enterico-gastrica*, quae plerumque simul *chylosa* est, sive *fluxu coeliaco* notari solita.

b) *Phthisis pancreatico-gastrica* 1), qua talis in pancreatis ipsius morbosa conditione et degeneratione fontem habens.

c) *Phth. hepatico-gastrica*, phth. hepaticae 2) varietatem aut gradum proveciorem ut plurimum exhibens.

Quas tamen species nothas magis, vel *symptomaticas*, in sequentibus omitto, in prioribus genuinis specialius nunc describendis acquiescens.

§. 10.

I. *Phthisis ventriculi dyspeptica*, s. *adynamica*, quam etiam *Atrophiam gastricam* nominare possis. Haec tabis species omnium frequentissima, etsi — mirabile dictu — saepissime vera natura sua phthisica observatorum oculos latens, aut saltem sero tantum, minusque provecio iam stadio, ut talis perspecta, omnis terrae aetatisque homines corripere potest, magis tamen adultos, et ad stomachi astheniam dispositos. Ipsa enim insigni et habituali factae astheniae primum irritabili, sensim torpidae, ventriculi, et inertiae facultatis contractricis et digestricis eius, sicut magis minusve secretionum humorum seroso-mucosorum succique gastrici 3),

1) De qua vid. Cl. *Harless* libr. cit. Ueber die Krankheiten der Pankreas etc. 1812.

2) Quam specialius exposuere *Schröter*, in Diss. de phth. hepatica, S. I. II. 780. 1791. et *Noeldeke* in Diss. pathologia phthisis hepat. Gött. 1791.

3) An vere peculiaris propriaque natura secretus liquor sit succus hic gastricus, quemadmodum ad novissimos usque dies statutum erat, aut an is non nisi ex humoribus mucoso-albuminosi membranae seroso-glandularis intestinae stomachi atque ex residuo chymi quasi fermento compositus sit, uti nuperrimi quidam volunt, nihil hic ad rem facit, neque quid mutat in thesi.

in ventriculi interiore membrana perversioni, in summa dyspepsiae atonicae continuae, paulatim in absolutum torporem et resolutionem stomachi eiusque tum nervorum, tum muscularis texturae, tum vasorum sanguineorum et seroso-lymphaticorum transienti, originem proximamque debet rationem. Ei saepius lapsu temporis iungitur non solum phthisis *duodenalis* atque talis *intestini tenuis*, sive phth. *chylosa*, sed etiam haud raro phth. *hepatica et lienalis*, ex qua tamen utraque pariter ipsa haec gastrica species *suboriri* potest. *Stadio* absolvitur *duplici*, scil. a) *irritabili* atque b) *torpido*, quod posterius plerumque multo longius perdurare solet. Febris, quam excitat atque secum habet, primo tempore synochae gastricae vel etiam gastrico-bilio-sae refert faciem, ita ut fallat plerumque medicum aegrotumque; paulatim vero personam mutat, atque in manifestiorem hecticam, cum remissionibus obscurioribus et brevioribus, viriumque et nutritionis lapsu magis magisque aucto, macieque corporis nunc luculentiore facta, transit. Pulmones in hac specie ut plurimum aut prorsus integri, nullaue tussi vel suppuratione laborantes manent, aut ultimo tantum tempore labe quadam symptomata adficiuntur. Stomachi vero passio per omne tempus eminens et constans manet, crebroque *emesis frequens*, biliosa, acida, vel etiam aquoso-salivalis, raro subruenta vel nigra, versus ultimum stadium aegros cruciat.

§. 11.

Signa specialiora, etsi non semper constantia nec ideo ubique pathognomonica, huius phth. dyspepticae haec sunt. Constitutio corporis iam ante morbi hecticici initium debilitata, atonica. Morbo paulatim intrante digestio lenta, difficilis, imperfecta. Flatulentia stomachi et intestinorum, cum ructibus crebris permolestis. Hypochondriaci affectus varii, cum lassitudine, et morositate. Alvi depositio irregularis, segnis, modo liquidior iusto, modo siccior. Stomachusensus plerumque, epigastrium inflatum, ad tactum vix unquam dolens. Appetitus ciborum inordinatus quidem, sed initio sat bonus; citius tamen ex pastu vel modico repletionis et gravationis stomachiensus; plerumque cum aucta lassitudine, capitis aggravatione, et solito maiore ad somnum inclinatione. Arteriarum pulsus adhuc celeritate sua naturalis, immo nonnumquam debito segnior, rarior, facile tamen ex leviori quavis irritatione mutandus et accelerandus; ita plerumque post patum. Urinae mixtae, turbidae magis, interdum hypostaticae. Cutis plerumque sicca, rarius parciusque perspirans. Hepatis adfecti, tumidi, indurati symptomata nulla, vel saltem haud constantiora. Nulla pariter lienis male se habentis, vel

tumidi. Neque etiam haemorrhoidum vel fluentium, vel coecarum passio constans notabiliorve, etsi moliminum haemorrhoidalium, plethoraeque systematis v. portarum frequentia subintrent phaenomena.

Haec symptomata morbum lento passu occultoque irrepentem, sive *primum eius stadium*, transitumque in secundum comitari solent. Progrediente vero ipso ad hoc *secundum stadium*, et per ipsum ad *tertii* initia accedunt praedictis nova haec symptomata, *tabis* evolutionem sensim magis magisque manifestantia: Motus febriles crebrius faciliusque resuscitandi, praesertim post pastum meridianum vespertinumque, iterumque sub finem vergente digestionis negotio. Exinde mox febricula quotidiana, matutino tempore multum remittens, et parum sensilis, post meridiem exacerbescens, et sub vespera inprimis pulsu celeriori, irritato, duriusculo, tenso, caloribus fugacibus, inaequalibus, quos leves horrores frigoraque modica praecedere solent, conspicua. Hos febriculae quotidianae accessus sequuntur madores cutis inaequales, mox noctu in sudores transeuntes, lassitudo insigniter crescens, animi prehensio et deiectio, ac ex laboribus quibusque paulo intensioribus virium ipsius sicut corporis insolita confectio, appetitus ciborum iactura, immo fastidium, ventriculi indies aucta debilitas et atonia, facultatis digestricis et concoctricis prostratio crescens et dolorosa, flatulentia, abdominis et hypochondriorum tensio, crebrius cum vomituritione ipsoque vomitu post pastum, aut etiam post potum copiosiore, rarius ieiuno stomacho; lingua squalida, muco albido luridoque obducta, alvus liquidior, copiosior, ad diarrhoeas aquosomucosas pronior, quin immo materierum dyspeptarum, pituitosarum, quasi chyloidearum, haud tamen puriformium eiectione vitata; pinguedinis telaeque cellulosa ipsarumque carniū muscularium successiva lentaque attenuatio et consumptio, maciem universalem paulatim inducens; color cutis et faciei pallidus, fere chloroticus, faciei saepe plumbeus vel cinereus; vultus physiognomia remissior, in longius diducta, languida; respirationis nulla molestia nec difficultas; nulla tussis, aut non constans, nullaue alia pulmonum aegrotantium symptomata, nisi ab universali asthenia proficiscentia. In nonnullis superveniunt nunc notabiliores hepatis, nec non lienis affectiones, praesertim sensus gravativus, vix dolorificus, circa haec viscera, bilis male praeparatae vel nimia copia ad duodenum non solum delatae, sed in ventriculum saepius regurgitantis phaenomena, lienis intumescencia etc.; quae tamen signa in pluribus aliis deficiunt.

Sic transit tabes haec, ubi non satis tempestive arceri potest (cuius in secundo tantum stadio spes superest), in *tertium* stadium, idque ultimum et longe plerumque lethale. Huius funesti exitus signa fere cum reliquis tabis abdominalis ad mortem vergentis, magnam partem etiam cum pulmonalis tabis exitiosae phaenomenis communia sunt, notaque adeo tritaque, ut vix descriptione eorum opus sit. Sufficiat scire, hoc morbi tempus insigniri inprimis tum febris intensiore augmento, remissiones multo leviores brevioresque ferente, et post meridiem ad mediam noctem nisi ad matutinas horas usque fortius excalescente, tum emaciatione corporis rapidiore, in plurimis ad extremam usque pinguedinis consumptionem progrediente, et inprimis in facie summe collapsa, rugosa, decolore, conspicua, tum virium maxima exhaustionem, saepissime ad deliquia usque a minimo nisu, tum absoluta anorexia, ad quam nunc sitis, interdum clangosa, accedit, tum diarrhoeis aquoso-mucosis, summe debilitantibus, colliquativis, sudoribus subfrigidis, viscidis, haud raro scorbuticis et ex livido atris maculis in cute, gingivarumque pari scorbutica resolutione, crebroque universa cutis inflatione hydropica, vel saltem oedemate pedum, interdum etiam hydrothorace, nec non sputione puriformi.

§. 12.

Morbus hic, etsi sat frequenter obvius, uti jam LINDENIUS et ETTMÜLLER 1), tum FR. HOFFMANN 2), et inprimis supra laudatus ARNOLD 3), optimus de hac phth. gastricae specie scriptor, observarunt, multo rarius tamen (uti iam supra, §. 6. dictum erat), a pathologis clinicisque auctoribus indole sua vera et peculiari phthisica cognitus, atque ita, ut par erat, distincte descriptus est; adeo ut, ARNOLDO iam notante, multos frustra evolvas auctores, in quibus huius morbi nomen quin vix notionem invenias; rarissimeque omnium exquisitam et pathognomonicam huius morbi delineationem re-

1) Opp. T. I Cap. de f. hecticis et phthis., p. 242. „Lindanus hoc fideliter inculcat, quod frequentissime sit tabes vitio stomachi scil. cruditate putrida etc.“ Alio loco (p. 279.) distinctius hanc tabis stomach. speciem sub nomine *hecticae a cruditatibus* idem Ettmüller descripsit, dolorem ventric. et saporem salsum inprimis denotans.

2) L. m. Idem tamen hecticam stomach., quam ut speciem singulam introduxit, haud specialius dispertiit, sed in ipsa simul nostram speciem tertiam quartamque, ab organica stomachi degeneratione profisciscentem, comprehendit.

3) Diss. cit. Meretur sane egregia haec dissertatio, speciei, quam nunc describimus, optimam exhibens descriptionem, quae studiose legatur, et cum nostra qualicunque expositione comparetur.

perias. Neque revera ab alio fere quovis auctore hanc, de qua agimus, phth. gastricae dyspepticae speciem curatius distinctam proprieque descriptam reperimus, quam a supra laudatis ERHARDO (diss. cit.), nimis breviter tamen et ex theoriae admodum antiquatae et fere Galenicae principiis eam adumbrante, et praesertim ab ARNOLDO, notionem diagnosinque eius multo rectiorem lucidioremque, etsi ingenio saeculi illius morigeram, perhibente. Quae enim antiquissimo aevo jam a GALENO 1), de tabe e siccitate ventriculi, et paulo explicatius omnino ab AVICENNA 2) de *hectica stomachi* exponuntur, admodum obscuram vagamque morbi huius ideam indigitant. Atque hanc morbi nostri cognitionem ex frequentiore eius cum aliis morbis confusione ortam esse deprehendimus.

Confundi autem potest phthiseos gastricae haec species dyspeptica tum praesertim cum phthisi gastrica induratoria et scirrhode, quacum omnino saepius in unam coit, tum cum phth. gastr. subphlogistica, s. cardialgica, quam quidem pariter in singulis casibus sociam habet; nec non cum lienis propria tabe subinflammatoria, tum cum phthisi intestinorum tenuium, sive chylosa et lenterica, tum cum phthisi pancreatica, tum denique cum phthisi hepatica. Difficilius confundi species nostra poterit cum atrophia mesenterico-scrophulosa, et vix umquam cum pulmonali, etsi in ultimo illius stadio pulmonum labis, rarius tamen ulcerosae, phaenomena accedere possint.

§. 15.

Dignoscitur phth. gastrica *dyspeptica*, quum ab initio eam curatius observare licuerit, plerumque (etsi non semper, quippe quum diagnoseos eius certioris in singulis casibus, iisque praesertim complicatis, magna omnino difficultas est) sequentibus criteriis propriis: 1. A phthisi gastr. s. *subphlogistica* atque a *scirrhode* eo, quod in *dyspeptica* nullus adsit vel praegressus fuerit dolor ventriculi pungens, vel rodens, vel constringens, (nisi huiusmodi speciem excitet ardor ventriculi ex aciditate chymi succorumque gastricorum), nec tactu et pressione fortius excitandus: porro quod emesis in phth. gastr. dyspeptica neque adeo constans sit, neque semper post pastum vel post quemlibet cibum aliquanto copiosius vel modo solidius assumptum (haud fluidiorem at minutim dentibus contritum) cieatur, quemadmodum id in specie *scirrhode* fieri solet;

1) Method. med. C. VII, cap. 4.

2) Canon. Fen. XIII. lib. III. Tract. I. cap. 29.

quum e contrario in specie dyspeptica vomitus saepius per plures dies immo per longius tempus cesset, neque raro curatioris diaetae ope prorsus arceri possit; tum eo, quod ex emesi utut repetita in specie cardialgica et scirrhone aut incipiente aut saltem nondum nimis provecta, appetitus ciborum haud deleatur, sed brevi plerumque tempore, interdum statim post rejectos cibos redeat, aegerque post vomitum, etsi cruciantem, satis bene sese habeat, quum contra in specie dyspeptica ex quocunque vomitu comedendi appetentia magis magisque infringatur, signis dyspepsiae cum linguae squalore, oris amaritie, ex hoc ipso indies crescentibus, viribusque ex vomitu repetito summe labefactatis. Caeterum vomitus in hac specie dyspept. haud facile ventriculi dolores lancinantes vel contorquentes secum habet, id quod tamen in vomitu a spasmu et a scirrhone ventriculi, praesertim in proVectiore morbi stadio, semper magis minusve fieri solet. Denique discriminatur phth. gastr. dyspeptica a scirrhone eo, quod in priore manus ventriculum premens et explorans vix dolorem stomachi sensilius excitet, nedum durities rigiditasque vel tumor compactior in eo detegatur, qualem tamen indurationem atque tumorem quasi a steatomate, interdum fere ad cartilagineam usque duritiem, in specie scirrhone proVectiore observari digito explorante, vel ab ipso aegroto distincte sentiri scimus. Tandem ex causis variis, tabem gastricam producentibus, crebro (etsi non semper) diagnosin morbi perficere, certiusque iudicium, an induratio scirrhone et angustatio ventriculi adsit, necne, depromere licet; ita ut in primis diathesis et cachexia arthritico-exallactica, metastases arthritidis vel etiam materierum exanthematicarum ad ventriculum, abusus potuum spirituosum, mechanicae regionis epigastricae pressiones et quassationes etc., in casibus ambiguis scirrhone potius, quam simplicem dyspepticam phth. speciem coniicere iubeant.

§. 14.

2. A phthisi gastrica *melanotica* s. *atrabiliaria* facilius certiusque plerumque dignosci potest species dyspeptica eo, quod tum quidem illam semper aut antecedant aut comitentur systematis vasorum sanguiferorum abdominalium, praesertim venae portae, atque crebro etiam haemorrhoidalium affectus erethico-plethorici, tum potissimum *lien* ipsius passio plethorica subinflammatoria cum erethismo, sensilitate maiore, interdum ad dolorem acerbè pungentem usque protendente, haud raro etiam cum hypochondrii sinistri intumescencia dolorifica; lienisque ipsius ad tactum sensilis tumor; tum denique, in stadio proVectiori, sanguinis e vasis lienosis in ventriculum effusio illiusque nigricantis, grumosi, vel dissoluti *evomitio*, plerumque summe dolorosa, vires conficiens, ad animi us-

que deliquia. Quum in hac morbi specie ventriculi passio semper sit secundaria, et ex systematis venosi lienis portarumque perversa irritatione sanguinisque ipsius dyscrasia singulari, ad scorbuticam septicamque accedente, magis quam ex peculiari ventriculi asthenia et atonia proveniat, in ipsa gastricae digestionis non talis tantaque depravatio atque prostratio primis temporibus adesse solet, ac in originaria dyspeptica; etsi in ulteriore morbi decursu stomachi vires etiam magis magisque labentur, ciborumque tandem incontinentia eum anorexia et diarrhoea accedat. Hae quidem alvi deiectiones in melanotica specie saepissime cruentae subnigrae, sanguinem foetidum dissolutum magna interdum copia fundentes fiunt: id quod in phth. gastr. dyspeptica nunquam fieri solet. Transit vero haec species melanotica *lienosorum propria* saepissime facillimeque in exquisitiorem phthisin lienalem, quacum natura sedeque sua maxime convenit. Inter nuperiores scriptores specialius extricatusque de ipsa egerunt RUCKSTUHL 1), Perill. PET. FRANK 2), Jll. S. G. VOGEL 3), YOUNG 4), et inprimis b. MARCUS 5), etsi is non tam phthiseos gastricae speciem, sed lienis inflammationem chronicam, cui frequentius statuendae nimia facilitate indulsit, ubique signis illis notari maluerit.

Ulcerosae speciei phth. gastr. diagnosis a dyspeptica ex utriusque descriptione sponte elucebit.

§. 15.

II. *Phthisis gastrica melanotica s. atrabiliaria*, sicut per se minus simplex est, propriusque (uti iam §. antecedenti dictum erat) ad lienis affectiones protopathicas accedit, adeo ut ipsa numquam saltem absque lienis venarumque praesertim splenicarum et saepe quoque mesentericarum insigniore irritatione et actione morbosa, sanguinisque splenici et (saepius) simul mesenterici peculiari vitiatione vel dispositione ad dissolutionem et decompositionem (quam dicunt) septicam procedat, ita forma et decursu suo magis variat, facilius complica-

1) Diss. de morbis lienis, Argentor. 1781.

2) Epit. de curand. hom. l. II.

3) Handb. der prakt. Arzneik. T. II.

4) Vid. Samml. auserlesn. Abhandl. Bd. XX.

5) Ephemerid. d. Heilk. Bd. III. Heft 1, 2.

tur et a phthiseos gastricae eminentioris natura deflectitur, initioque obscurior atque discretu difficilior est. Hypochondriae atque hysteriae sanguineae (i. e. e sanguinis in mesentericis et haemorrhoidalibus nec non uterinis venis praeter iustum congesti tardiusque vel inaequalius moti intemperie et, quam barbare vocant, azotisatione ac carbonisatione nimia, nervorumque abdominalium exinde producta heteronomica irritatione oriundae) gravioris gradus magis propria haec astheniae erethisticae ventriculi lienisque species, longe plerumque in principio pseudophlogisticae est naturae, inflammatoriam subinde ventriculi ipsiusve lienis passionem mentientis. Stipata esse solet in priori stadio, antequam phthisicam manifestius induat naturam, doloribus non solum ventriculi et praecordiorum, sed hypochondrii quoque sinistri, spasticisque ipsarum contractionibus, tensioneque eius fere continua, nec non anxietate et inquietudine universali, ardore ventriculi saepe intolerabili, ciborum appetitu admodum inaequali, inordinato, nunc prorsus deiecto, nunc cum fame insolita et bulimia alternante, nec non cum flatulentia ventris, alvoque plerumque strictiore, segniore, interdum rursus liquidiore. Febris in hoc primo stadio haud quidem prorsus deficiens, et quocunque motu corporis et inprimis animi fortius accendenda, haud tamen insignis nec typo suo constans est, pulsusque hinc etsi iusto celerior et irritatior, tamen modo plenior et regularior, modo exilior, contractior, et irregularior est, quemadmodum in lienosis et hypochondriacis esse solet. Caeterum symptomata gastrica biliosa vix notabilia aut admodum inconstantia adsunt, lingua vix squalida, nullus amaror oris, rara e cibis ingestis vomituritio. *Secundum* stadium denotant dolores stomachi et hypochondrii sinistri acerbiores, praesertim in ieiunio, nisi etiam ex nimis larga ciborum ingestione, a tactu pressuque sensiliores faciendi, sanguinis initio parci profunde rubentis, sensim copiosioris et nigricantis, interdum grumosi multi, vomitiones, inconstantibus temporibus redeuntes, cum virium proinde insigni prostratione, ad lipothymiam et tremorem universalem usque, spasmi musculorum et intestinorum frequentiores, haud tamen facile in convulsiones abeuntes, febris magis continua, etsi remittens, pulsus concitatior, celeriores, subduri, contracti, exiles, carniarum consumptio et corporis totius emaciatio, nunc saepe rapidius procedens, vitae modo desidium modo perdendae summe anxius metus, sensorii interni crebra obnubilatio aut confusio, et facultatum animi prostratio, negotiorum vel rerum domesticarum incuria, faciei defiguratio tristis, passionis nuntia, color luridus, ex pallido cinereus vel plumbeus. In ventriculo tamen extrinsecus

explorato nulla durities nullusque tumor scirrhomides delegi potest; neque talis in hepate, etsi saepius tumente, et interdum nunc quoque dolente. Tandem in stadio tertio accedunt diarrhoeae cruentae, foetidae, talesque in genere, quales tanquam morbo Hippocratico nigro (qui revera nihil aliud est, quam phthiseos splenico-gastricae, et interdum simul intestinalis, gravior gradus) propriae describi solent; porro haematemesis largior, sanguinem solutiorem foetentem fundens, fudores et urinae colliquativae, summa debilitas, soporosus status, vel animi deliquia frequentiora, saepius quoque pectoris oppressio, strictura, et orthopnoea, cum tussi aut sicca, aut interdum cruenta; vel cum puriformis materiae exscreatione. — In cadaveribus reperiri solet sanguinis in cavo ventriculi effusio, aut ipse maculis lividis atrisve tinctus, vasa brevia turgentia, lien sanguine abundans, tumidus, nigricans, interdum lividus magis, compage sua laxior, flaccidior, vel (uti ipse aliquoties vidi) quasi resolutus, pultaceus, facillime digitis rumpendus, interdum etiam sanie et pure confectus.

§. 16.

Diagnosis huius tabis speciei ab aliis, uti iam dixi, plus difficultatis habet propterea, quod in illa vix umquam stomachus solus vel vasa venosa eius propria, aut muscularis, aut nervosa, aut glanduloso-secretoria eius fabrica, per se aegre laborant, sed quod lienis et subinde magnae partis systematis vasorum v. portae passio nisi princeps (qualis certe tum, quum morbus phthiseos gastricae speciem nomenque obtinere debeat, esse nequit), tamen protopathica facileque momento suo aequae gravis simul adsit. Neque fateri nolim, in talibus casibus, in quibus lienis primum subinflammatus, tumentis, dolentis, sensim marcidus, semiputridus, saniosus, vel duri et scirrhomides factus, tanta et tam eminens aegritudo gastricam praecedat vel ei iungitur, et in quibus vasorum brevium cum stomacho communicantium superimpletio sanguinea, sanguinisque ex iis potius effusio atque evomitio lienis magis quam stomachi corruptioni debetur, morbum ad phthisin lienalem potius, quam ad gastricam referendum esse. Attamen sunt certo homines lento marcere febrili ventriculi confecti, in quibus lienis nulla manifesta observatur nedum eminens passio, quibusque, etsi ad extremum perductis, haud copiosiores sanguinis vomitiones, etsi non plane desinentes, neque cruentae nigraeque alvi deiectiones superveniunt. In iis discerni poterit plerumque iam ab initio, et ingruente morbo insolita ventriculi sensibilitas, saepe vere dolorifica, et interdum spasmodica, celeriorque (etsi ita tantum apparens) ingestorum digestio, postea tamen debilitatem et

plenitudinis sensum resinquens, dolores lancinantes *vagi* in stomacho, et versus hypochondria, quos paulatim sequitur vomituritio, vel vomitus, initio aquoso-pituitosus, modo aliquanto salsus, modo amarus vel amaricans, postea vero sanguines, uisque aut rubidiorem, clariorem, floridioremque sanguinem, aut obscure rubrum, nigricantem, et grumosum crebrius ore eiiciens. Reliqua, quae ad dignoscendam hanc speciem ab antecedenti in ulteriore suo decursu faciunt, in §. 14. iam memorata invenies. Addam solummodo, diagnosin huiusmet speciei tum quidem a phth. hepatica, tum maxime a phth. pulmonali multo minus difficultatis secum habere, siquidem neque hepatis, neque pulmonum affectionis signa eam, nisi forte ad tabis universalis acumen iam propectam, comitari soleant.

§. 17.

III. *Phthisis ventriculi subphlogisticae s. cardialgica*, eaque serius *induratoria* evadens, non solum reliquarum frequentissima, sed consideratu dignissima, ideoque inprimis memorabilis est, quod haec apprime sit species, ad quam patiendam maior copia hominum in singulis terris vitaeque conditionibus ad ipsam disponentibus opportunitatem s. diathesin quandam acquirere potest, et quae ideo in haud paucis regionibus Germaniae nostrae, pariter ac extra eam, tam ratione frequentiae quam potissimum ratione causarum externarum, in coelo, terra, vitae victusque genere, laboribusque hominum, positarum *endemia* observatur. Atque talem endemiam sese perhibet nobis tabes haec ventric. cardialgica in nostris ad Rhenum inferiorem sitis confinibusque terris, speciatim in ipso agro Bonnensi, et Coloniensis parte; nec non in vallibus ducatus Bergensis, sicut montis „Eiffel“ dicti; tantaque frequentia tantaque simul vi et perniciē occulta potissimum inter vicorum pagorumve incolas colonosque, nec non inter opifices linteorum lanaeque et panni vel telae bombycinae vel tibialium textores etc. occurrit, ut non solum maiorem victimarum, quas genus phthisicorum morborum in his terris quotannis aufert, partem illa ventriculi lenta subphlogosi et induratione perire, sed plures quoque phthisium, pro pulmonalibus ob symptomata tabis vel ulcerationis pulmonum habitarum, casus ad illam gastricae speciem origine referendas esse existimem.

Forma et decursu omnino haec quoque multimode variat memorabilis species, quam in aliis quoque terris, praesertim in quibus vitis viniferae cultura simul cum vini recentioris largiore usu floret, haud raro obvenire, ex ipsius indigationibus, etsi vagis minusve distinctis, apud aliquos scripto-

res 1) coniiicere licet. Symptomata tamen, quibus ea in plerisque, praesertim iunioribus, oriri, quibusque in decursu notari solet, *potiora et constantiora* (nam plura alia minus constantia minusque genuina certave in singulis ex singulis conditionibus forte accedentibus supervenire omnino possunt), ex mea observatione in multis singulari cum studio facta haec sunt.

Subrepat morbus hic praesertim homines florentis mediaeque aetatis, mares magis ac foeminas, iuvenes virosque sanguineo-cholericos strictioris habitus, robore systematis irritabilis et sanguiferi et energia digestionis satis vigentes; maximeque tales, qui inter labores operasque aut intensiori virium ope, aut praesertim assidua epigastrii stomachique pressione et percussione vel contractione iuncta, vitam degere solent, et in tali vitae laboriosae genere, praesertim quum sedentarium hoc sit, aut nimis lauta nutrienteque diaeta, cibusque aromaticis, acribus, exaestuantibus, iusculisve et potubus calidis similis naturae utuntur, aut spiritum vini, vel vinum generosius unaque adstringens, aliosque potus spirituosos copiosius hauriunt. Quare frequentius non solum invadit adultos, quam pueros, sed inter sedentariae vitae addictos inprimis sutores, sartores, textores linteorum lanaeque etc., aliosque huiusmodi opifices, nec non scribas aliosve scribendo vel pingendo etc. assidue occupatos, et inter reliquos stando abdomenque simul fortius concutiendo laborantes fabros ferrarios, scriniarios, tornantes, figulos etc., praesertim quum virium reficiendarum aut percarae consuetudinis causa, ut saepe solent,

-
- 1) Sic non solum magna copia observationum, de indurationibus et tumoribus scirrhis ventriculi etc. traditarum, et supra ex parte citatarum, frequentiam huiusmodi phthiseos in multis diversisque regionibus, hominibus, aetatibus, commonstrat, sed ex singulis quibusdam harum observationum apud *Forstum* (lib. XVIII. Observ. 32. 33. at aliae), *Morgagnium*, *Portaliu*, *Voigtelium*, *Chardelium*, etc. specialius apparet, hanc tabis g. speciem exquisitius frequentiusque obvenire in illiusmodi hominibus, supra dicta constitutione et causarum occasionalium conditione (de qua postea specialius dicetur) utentibus. Tabem sic a chronica passione (probabiliter subphlogistica et induratoria) ventriculi in Austria quoque inferiore (teste iam *Hofero*, in *Hercule medico* lib. I. cap. 3., a vini generosioris (?) abusu huius phthiseos endemiam, quam dicit, ibi frequentiam deducente) crebro apparere, nec non in Italia, praesertim ad oras maritimas, in Gallia meridionali, in Hungaria etc. admodum similis naturae tabem frequentem esse scimus.

pluries de die liquoribus spirituosus vel vino crudiori, recenti, aerem carbonicum largiorem emittente, eoque satis acido vel acerbo utantur.

Initio, sive *primo stadio* morbi, vix de alia quavis affectione vel sensatione insolita et molesta conqueri solent, quam de obtuso quodam vel in nonnullis magis pungente vel rodente, et motus corporis liberos facilemque abdominis extensionem ac flexionem magis minusve impediende *dolore* circa epigastrium et in ipso stomacho, vix umquam prorsus cessante, fortius tamen post pastum potiusve calidos, vel etiam post intensiorem quemvis corporis nisum redeunte, et ardoris ventriculi, vel, quum crescat, *gastrodyniae spasmodicae* naturam induente. Interea appetitus ciborum satis bonus manet, ventriculus a cibis solitis parum vel nihil inflatur, sitis nulla, febris aut nulla, aut parum sensilis, pulsu tamen concitatore, subduro; alvus parcius, plerumque naturalis, in multis tamen iam nunc irregularior et strictior solito fieri incipiens. Caput non dolet, nec pectus et respiratio notabiliter impeditur. Facilius tamen non solum sequitur nunc labores aliqua animae prehensio pectorisque angustatio, praesertim post pastum, sed subrepat sensim animum inquietudo quaedam et sinistri exitus meticulosa cura. Quum in hoc stadio epigastrium impressis digitis tangas et studiosius explores, insolitam eius tensionem et in profundo aliquam, etsi levissimam saepe et vix notabilem, duritiem invenies, quasi ligamentosam densioremque texturam attingas; et in hoc agendo aegrotus de dolore sensilior, quam alias ex fortiori tactu percipiat, queretur. Sunt tamen alii, qui symptomatum sensationumque talium magis incurii, sanosque se putantes, hoc primum stadium absque ulla medelae sollicitatione, inscuique morbi in ipsis germinantis, transgrediuntur.

Ita lento semper passu intrat *stadium secundum*, cuius decursus insigniore nunc evadente *gastrodyne*, eaque interdum vix tolerabili, rarius per plures horas cessante, et iam noctu quoque durante, somnumque turbante, sicut crescente et distinctiore nunc facta *ventriculi induratione* insignitur. Durities haec iam non solum inclinato aegroti corpore, manuque intensius epigastrio impressa, praesertim sub scrobiculo cordis, et inferius ad arcum magnum inferiorem stomachi usque, immo saepe fere profundius, nec non versus dextrum latus heparque, aut in aliis magis (praesertim quum pylorus chronica illa densatione et induratione subphlogistica laboret) versus sinistram partem ad lienem usque sentitur, quid quod ipsam in multis nunc iam erecto corpore, etsi semper obscurius, distinguere possis: sed condensationis atque indurationis haec moles pondusque ingratum ab ipso aegroto plerumque percipitur, tensio-

nisque et constrictionis dolentis sensu ipsum impedit, quominus libere perfecteque, uti antea, corpus erigere, erectusque diu stare possit. In nonnullis expanditur ista tensio et durities, quasi pergamenea, ad umbilicum usque, sicut trans hepar, cum sensu plumbeae gravitatis vel rigoris cuiusdam in his partibus. Accedunt nunc sensim anorexia, borborygmi et ructatio frequens, leves vomituritiones, ipsique *vomit* praesertim matutini, vix umquam in hoc stadio ulteriusque deficientes, quibus tamen nihil fere ore eiicitur, nisi copia laticis limpidi aquoso-pituitosi, interdum sat tenuis et salivae simillimi, sive vere salivalis (qualis inprimis in iis, quibus pancreas simul affectum et simili chronica subphlogosi irritatum est, evenit), interdum pituitosi, vel salsi vel acidi. Hanc vomitionem liquoris aquoso-mucosi incolae nostrarum regionum ad Rhenum infer. singulari voce, *das Kinnwasser*, et Saxoniae inferioris incolae, „*den Kolk*“ vocare solent. In potatoribus huiusmodi vomitus inprimis frequenter observantur.

Post vomitum aliqua cardialgiae remissio quiesque; interdum cibandi satis bonus redit appetitus. Attamen mox redeunt dolores vellicantes, vel urentes, vel quasi contorquentes praecordia et abdomen superius, cibandique breve desiderium sequitur fastidium. Augetur alvi depositionis turbatio et constipatio, accedentibus saepe moliminibus haemorrhoidalibus; labantur vires, et febricula inaequali tempore remittens, cum caloribus fugacibus, levibus rursus horroribus interiectis, accenditur; anxietasque circa praecordia sicut hypochondriaca passio crescunt. Nutritio magis magisque deficere incipit, corpore exinde attenuato, sudoresque nocturni et matutini, pectorisque angustia spasmodica superveniunt. Aegrotus ad negotia sueta, quum virium intensionem requirant, exercenda aegre se praestat, nec sine insigni est lassitudine et animi abiectioe. Urinae turbidae, nubeculosae, furfuraceae, rarius sedimentum demittunt. Hoc modo, in variis hominibusque pro singulorum diathesi vel accidentibus complicantibusve conditionibus variante, sensim ingravescit morbus stomachi et totius corporis, et transit in progressu eiusdem secundi stadii, in expressiorem phthisin scirrhomem, nunc adhuc brevibus depingendam, quae revera non est nisi gradus provector graviorque, unaque stadium tertium effingens illius phthiseos subphlogisticae et cardialgiae, neque ab illa plerumque differt, quam eo, quod manifestiora et indurationis ventriculi et phthiseos universalis prae se ferat phaenomena.

§. 18.

IV. Etenim *Phthisis* haec ventriculi *scirrhomis* qua talis numquam est necesse potest originaria sive protopathica, sed non nisi praecedente passione sub-

phlogistica vel etiam (id quod eam maxime a praecedenti separare et tanquam speciem propriam in singulis saltem casibus dignoscere iubet) ex vera ventriculi inflammatione, haud prorsus resoluta aut in crisi sua turbata, vel denique ex metastasi praesertim arthritica, nec non psorica, oritur. Haec, simulac vere scirrholdis nomen formamque induit, vix natura sede sua medicum attentum latere potest. Manifestatur enim tum *emesi* post quemcunque pastum, immo post ientaculum vel quaecunque fere iuscula tepida, vel etiam post potus gelidos redeunte, aegrum miserrime angente et debilitante, ita ut miser talis quamcunque cibationem et potationem, quamvis eius avidus, fameque et siti confectus, summa cum anxietate reformidet, et ab ipsa, quam diu potest, abstineat: tum ventriculi interni *doloris*, modo lancinantis et acuti, modo contorquentis et constringentis violentia, etsi non continua, sed intervalla quietis concedente, post quemcunque tamen pastum vomitionemque crescente: tum luculentiore nunc facta et vix amplius digitum explorantem fugiente *tumore duro* et *scirrhode* loci alicuius amplioris minorisve subter epigastrium, in stomacho, vel etiam in intestinis adiacentibus, quae quidem tumoris scirrholdis exploratio nunc eo facilior fit, quo magis iam extenuatum macilentumque factum est corpus, et quo densius duriusque eminet per integumenta pergamenea intus tracta iste tumor: tum atrophia et consumptione extrema carni, ex abstinencia potius nutrimenti, commorationisque eius et concoctionis in ventriculo impotentia, quam ex digestionis in intestinis tenuibus, sanis per se, inopia: tum febre hectica lenta, mox continua, cum sudoribus et urinis colliquativis, siti clamosa, alvo nunc liquidius fluente, hepate dolente, tumido, ore foetente, scorbuti haud raris phaenomenis in gingivis et ipsa cute maculis lividis oblecta, summa animi et nervorum adynamia, anaesthesia, tremoribus, agrypnia, quibus in limine mortis accedunt spasmi leves faciei vel cynici, deliria mussitantia, carpologia, oesophagi paralysis.

§. 19.

Discrepant omnino aliquomodo, etsi non ubique constanter et satis distincte, *signa* scirrhi ventriculi, specialiusque componuntur, prout is aut superiorem stomachi partem, et speciatim *cardiam* initiumve oesophagi occupat, aut inferiorem et in specie *pylorum* (in quo eiusmodi tumores et indurationes atque coarctationes scirrholdes inprimis frequenter summumque saepe ad gradum occurrunt) aut prout simul *duodeni* partem, vel (quod frequenter fit) *pancreas* quoqueprehendunt, aut denique prout ventriculi interni affectio non *simplex* spissatio, induratio, et coarctatio scirrholdes, sed simul *erosio* atque *exulceratio* est,

aut quum scirrhus hic in superficie sua passim denuo *inflammatur* (quantocunque etiam modo talis pseudophlogosis a vera infl. discrepet) et exiude in *ulcus* saniosum vel *carcinomatosum* abit 1). In hoc ultimo casu, omnium luguberrimo et semper ad mortem certam ducente, suboritur *ultima* illa species phthiseos gastricae, scilicet *suppuratoria*, quam pro re nata etiam modo *sphaescelosam* modo *carcinomatosam* potius nominare possis. Hanc stomachi exulcerationem, quum ex scirrho fiat, cognosces potissimum ex materia saniosa, purulenta, interdum quasi ramentis membranosis vel carnosis mixta, foetidissima, quae in vomitibus eiicitur, plerumque cum aliqua, etsi non constanti, remissione dolorum, ex febris summo augmento, cum pulsu celerrimo, exili, sudoribus frigidis, viscidis, repentina colliquatione, ventris inflatione et meteorismo, adveniente plerumque *orthopnoea*.

§. 20.

Sunt tamen in nonnullis tum quidem tumores et coarctationes scirrhomatosae tam stomachi ipsius, sive eius membranarum, quam pylori atque cardiae, ad enormem usque magnitudinem et crassitiem paulatim auctae, quarum formatio admodum lenta fit, decursusque morbi hecticici exinde pendentis eximie in longum protrahitur, et in quibus stadium nisi secundum certe ultimum, phthiseos et maciei exquisitoris signa perhibens, post plures demum annos manifestatur, miserosque aufert. Eiusmodi diu protractae tabis scirrhomatosae cum eminenti induratione etc. exempla referunt MORGAGNI, SAND et STOLZ, LIEUTAUD, SANDIFORT, RAHN, BAILLIE, KADE, CAR. BELL, CHARDEL, aliique. Mihi ipsi aliquot casus eiusmodi scirrhorum ventriculi per plures annos in viris mediae aetatis sese signis certioribus prodentium, et sero tantum, tabe et macie ad extrema perducta, morte finientium, a me observati in memoria sunt, eosque in continuatione huius descriptionis specialius enarrare in animo est. Ventrículos horum hominum excisos in spiritu vini servatos forte depingere iuvabit.

Sunt porro alii homines, in quibus ultimo dicta *ulcera* atque *apostemata* ventriculi non solum nullam phthisin post se trahunt, sed ne lethalia quidem fiunt, in quibus illa e contrario aut cicatrizationis modo clauduntur et sanantur, aut in quibus *canalēs fistulosi* extrinsecus sese aperientes formantur, sive

1) Inter antiquiores huiusmodi tabis stom. ulcerosae observatores inprimis eminet *Forestus*, lib. III. Observ. 33. conciso sermone et vivis coloribus eam depingens. Neque minus bene, immo distinctius et specialius adhuc descripsit hanc ventriculi suppurationem chronicam *Dominicus Lesnus*, in *Arte medendi*, Sect. III. lib. I. cap. 5.

fistulae stomachi dictae. Prioris generis exempla, multo quidem rariora (nisi in vulneribus stomachi sani scite tractatis quandoque proveniant), habent SANDIFORT, REIL, KADE, C. BELL, alique: posterioris generis, s. fistularum, plures occurrunt apud eosdem auctores, nec non apud SWIETENIUM, RICHTERUM, SABATIERUM, LARREYUM, aliosque. In talibus tamen casibus ulcerum satis tolerabili corporis valetudine nutritionis processu perstantium, nulla adfuerat stomachi protopathica affectio cachectica et induratoria, sed aut praecesserat gastritis, aut mechanica stomachi laesio. — Haud rara denique sunt exempla *simultaneae* indurationis non solum sed erosionis atque ulcerationis lentae *contiguarum* stomachi partium, duodeni, pancreatis, *hepatis* praesertim, et omenti, a stomacho hanc labem excipientium.


§. 21.

De *causis* phthiseos ventriculi, variarumque eius specierum, iisque tam *proegumenis* quam *procatarticeis*, hic prolixius agere, mihi eo minus in animo est, quo magis tritam cognitamque huius tabis generis aetiologiam inter medicos esse mihi persuadeam. Aliqua ad aetiologiam facientia tum quoque in antecedenti tum generis tum specierum phth. gastr. descriptione et diagnostice (quam quidem aliquanto distinctius explicandi princeps huius scriptionis finis fuit) commemorata sunt. Generatim meminisse sufficiat, phthisin ventriculi proxime maximaque sua ratione pendere a tali turbatione diuturna reactionis organicae ventriculi tum quidem in materias, quas in se recipit, alimentarias, tum in proprios, quos ipse secernit, succos, nec non in sanguinem, quem vehit vel recipit, tum in nervos, quibus non solum regitur sed etiam consensu adeo insigni latissimeque patente connectitur, tum denique in contigua proximaeque cum eo communicantia organa (hepar, bilisque in eo secretionem, et ex eo excretionem, lien, duodenum et reliquum intestinum tenue, pancreasque), quali non solum digestio et praeparatio chymi legitimi impensius et constantius vitietur atque impediatur, sed proinde transitus chymi copia et indole idonei in intestina, et chylificatio iusta magis magisque subvertatur, qualique demum ventriculi aut organica vis et facultas ad irritamenta naturalia modo naturali reagendi ad extremum torporem paralysinque usque deleatur, aut mechanicae suscipiendi, retinendi, et promovendi nutrimenti potiusve rationes (vi pressionis, situs mutationis, constrictionis spasmodicae continuae, tumoris, angustationis etc.), aut simul chemico-plasticae eius conditiones (a cachexia exallactica, aut colliquativa, nimia vel oxydatione, acide evolutione, vel azoti hydrogenique vel septici cuiusdam fomitis depositione etc., vel lenta in-

toxicatione, et substantiae ipsius resolutione) citra omnes naturae medicatris vires dirimuntur. — Inter causas *disponentes* inprimis multum huc facere observamus eminentiorem ventriculi tum irritabilitatem atque sensibilitatem morbosam, saepe congenitum, etsi crebro quoque acquisitam, tum ipsius adynamiam, tum *arthriticam* et *scrophulosam* constitutionem, nec non *climatum* quorundam singularem dispositionem, aeremque humidum, densum, nebulosum, vitaeque gens sedentarium, digestioni et motui ventriculi libero offensum. Inter causas *occasionales* praecipuam vim habent indigestiones frequentiores, refrigerationes stomachi subitanei, *metastases* materierum arthriticarum et exanthematicarum ad stomachum, et inprimis abusus potuum spirituosorum, et *vini austeri*, eiusque *recentis* aut *adulterati*. Atque hunc vini crudioris, nimis recentis, nondum defoecati, et acido carbonico abundantis nimis communem et largiorem usum in nostris terris ad Rhenum infer. inter principes causas istius phthiseos gastricae frequentioris recensendam esse, affirmare nullus dubito.

T H E S E S.

- 1) Dosis diversitas non mutat remediorum agendi indolem propriam.
- 2) In hydrocele extirpatio tunicae vaginalis incisioni praeferenda est.
- 3) Menstruatio non est sanguinis congesti effluvium: sed nutritionis exuberantis secretoria depositio.
- 4) Balnea frigida conveniunt constitutioni rheumaticae.
- 5) Amputatio cum binis lobulis relictis praeferenda est circulari.
- 6) Omnem actionem animalem concomitat processus plasticus.
- 7) In morbis actiones non minus sequuntur organicum typum.
- 8) Caries ossium amputationem non indicat.
- 9) Forceps obstetricia praeter necessitatem applicari quandoque sine damno potest.
- 10) Poros in secretionem reiicimus.
- 11) In conquestu de abdominis passionibus hujus exploratio, manu tactuque ad indagandum morbum facienda, prae ceteris commendabilis est.
- 12) Debilitas ex morbis acutis criseos non perfectae est signum.
- 13) Signum certum infanticidii peracti non exstat.



VITAE ET STUDIORUM CURRICULUM.

Ego, Hugo Franciscus Kleudgen, natus sum in oppido Münster-Mayfeld, non procul ab urbe Confluentia, Anno MDCCXCVI, patre Martino Kleudgen, iudice substituto, et Sophia, nata Eggenier, quos parentes optimos adhuc viventes veneror. Primis litterarum et religionis christianae elementis domestica institutione imbutus, anno aetatis decimo tertio in Collegium, quod Confluentiae floret, lyceale receptus sum, ibique studiis linguarum, artium humaniorum, historiarumque et matheseos per V annos incubui. Tum, ad medicinae studium amplectendum animo propensiore appulsus, anno MDCCCXIV, propaedeuticae institutionis fruendae causa, primus urbem Coloniā Agrippinā adii, ibique eruditione Virorum Clarissimorum, summe vener. Prof. et Equitis Wallraf in Hermeneutice auctorum class. romanorum, Cl. Prof. Lembergt in mathematica et physica, Cel. Prof. Cassel in historia naturali, Exper. Doct. Schmitz in Osteologia per annum integrum usus sum. Quo cursu finito hieme anni MDCCCXV in Universitatem lit. Wirceburgensem me contuli, ibique Pror. Ill. in civium academicorum numerum receptus sum. Per trium annorum spatium in hac litterarum sede interfui praelectionibus Professorum Celeberrimorum, Metzii in Encyclopaedia et Methodologia universali studii academici, in Logice, et in Anthropologia philosoph., Wagneri in Philosophia naturali et ideali, Pickelii in Chémia pharmaceutica, Hellert in Botanice, Sorgii in Physica tum theoretica tum experimentalis, et Cosmologia, Doellingeri in a. anatomia et physiologia, b. Hesselbachii in exercitationibus anatomicis practicis, cadaverumve sectionibus, Rulandi in materia medica, nec non in medicina forensi et politica med., d'Outrepontii in arte obstetricia et in mulierum morbis, Spindleri in historia medicinae, in pathologia, et in semiotice, Textoris, in chirurgia, et in operationibus chirurgicis faciendis, Schoenleinii in anatomia pathologica et in syphilidologia, praetereaque institutionibus clinico-practicis medicis Ill. Friedreichii, chirurgicis Ill. Textoris, obstetriciis Ill. d'Outrepontii per annum interfui. Initio Septembris anni MDCCCXVIII Herbipoli reliqui, et novae musarum sedis ad Rhenum inferiorem a Rege Potentiss. Borussiae condendae fama adductus, domum paternam petii, ut inde in hanc almam Bonnensem, quamprimum scholae apertae essent, me conferrem. Hic, Rectore Ill. Hüllmanno, m. Novembr. MDCCCXVIII. civibus academicis adscriptus, institutionibus fructus sum Virorum Celeberrimorum, Harless in materia medica, pathologia generaliori, Therapia specialiori morborum acutorum, et partis morbor. chronicorum, nec non in Policlinico med., ab ipso aperto, a Walther in cognosc. et curandis morbis oculorum, et in clinica chirurgica, Stein in theoria artis obstetriciae, Windischmann in historia medicinae et theoria magnetismi animalis, Nasse in schola clinica med., Bischoff in arte formulas med. concinnandi, Kastner in Physica et Chémia experimentalis, Noeggerath in Oryctognosia. — Exeunte aestate anni MDCCCXIX, annis quatuor studii medici iam elapsis, ab Ill. Ordine medico petii, ut impetrandorum summorum in Medicina et Chir. honorum causa ad examina solennia admitterer, id quod mihi concessum est, testimonio legitimo ab Ampliss. Ordine Philosophorum munito. Quum vero sanitas ineunte hieme anni praeteriti admodum labari coepisset, et per ipsum hiemem verque vires ita infregisset, ut laboribus ad disputationem publicam necessariis incumbere aegre potuissem, nunc primum, viribus corporis redeuntibus, metam attingere, Doctorisque ornamenta a manu Promotoris Colendissimi accipere licet.

Candidatus, quem vitam suam narrantem audivimus, ingenii et meditationis acuminis, studii copia, et animi candore vere commendabilis, in utroque examine, tam coram facultate medica oretenus, quam scriptis commentariis instituto, bene et cum laude stetit, dignusque omnino inventus est, cui summi in arte salutaris honores more solenni, et post publice defensam dissertationem suam tribuantur. Id quod ex officio et optima quaeris Doctorando ornatissimo apprecantes testamur. D. Bonnae d. XXXI. Julii MDCCCXX.

Dr. HARLESS, h. t. Decanus.